

DE EUCLIONE PLAUTINO

Euclionem illum, qualem Plautus aulam summa sollicitudine tuentem induxit, senem avarum fuisse cum iam primo prioris argumenti versu contendatur, et virorum doctorum auctoritate (cf. e. gr. Vahlen, Sitzungsber. d. K. Pr. Akad. 1907, p. 715; Schanz. Gesch. d. röm. Lit. I 74) et communi quam dicimus opinione adeo firmatum esse videbatur, ut ipse, cum Aululariam in nostrum sermonem vertere conarer, non dubitarem, quin inscribenda esset comoedia „Der Geizige und sein Schatz“ (Berolini, apud Weidmannos 1914).

Neque tamen negaverim eis ipsis, quae in argumentis de exitu comoediae, quem perisse valde dolemus, prodita sunt, difficultatem quandam allatam esse, quae eum certe minime fugere poterat, qui versus deperditos suo quamvis parvo ingenio supplere audebat. Nam cum prioris argumenti versibus 13 ss:

per dolum mox Euclio

Quam perdidisset aulam, insperato invenit

Laetusque natam conlocat Lyconidi

demonstretur durum Euclionis animum molliorem factum esse, altero argumento (v. 7—9):

Re omni inspectata compressoris servolus

Id surpit: illic Euclioni rem refert.

Ab eo donatur auro, uxore et filio

docemur ipsum senem aulam, cui tam anxie timuerat, una cum filia genero permisisse. Dubitari nequit, quin poeta hominis avari, si quidem fuit avarus, ingenium moresque in extrema comoedia prorsus mutata esse finxerit; quod quomodo fieri potuerit, necessitate quadam coactus versione ad finem perducta leviter significare quam pro certo affirmare malui nec sperare ausim contigisse mihi, ut vera ipsius poetae vestigia exprimerem. Sed ea de re alii iudicent; restare difficultatem nemo erit qui neget.

Quam si qui tollere velint exemplo Terenti afferendo, qui in Adelphis Demeam et ipsum hominem avarissimum sua sponte mores prorsus immutantem fecerit, nihil agant; nam ex eis, quae Demea (v. 985) Micioni respondet, apparet senem callidum simulasse potius aliquamdiu se alium factum esse quam revera ab insito ingenio recessisse (cf. Lessing, Hamb. Dramaturgie 70—73). — At alia est ratio Truculenti, qua comoedia Plautum etiam senem gavisum esse Cicero (Cat. 19, 50) testis est. Quae causa fuerit, cur poetae haec potissimum comoedia pariter atque Pseudolus tanto gaudio fuerit, ignoramus; certe fabulae inscriptione probatur Plauto vel si quis alius fabulae titulum indidit, ipsam tristis servi personam satis placuisse; nam ea, quae Stratulax ille dicit, ad expediendam fabulae actionem minimi sunt momenti. Iam vero cum in priore duarum scaenarum, in quibus solis Stratulax producitur, revera truculenter se gesserit (II 2 = 256—321), in altera (III 2 = 665—698) ipse profitetur v. 674:

Iam noenu sum truculentus,

677 Novos omnis mores habeo, ueteres perdidit;
neque Astaphio, quae (v. 317) se sperare dixerat

immutari pote

Blandimentis, oramentis, ceteris meretriciis.

Vidi equidem elephantum Indum domitum fieri atque
alias beluas,

interim occasio data est molliendae Stratulacis saevitiae,
neque ipse Stratulax certam mutati ingenii causam affert,
nisi tale quid versu 682:

postquam in urbem crebro commeo,

Dicax sum factus

significari arbitraris. Apparet igitur, ut Donati (ad Ter. Ad. v. 9, 29) verbis utamur, Truculenti personam perpetuo commutatam esse, quam commutationem diligentius explicare poeta non curavit¹⁾.

Quae cum ita sint, in universum quidem certe negandum non erit fieri potuisse, ut idem poeta Euclionis quoque naturam, quamvis sit dura, mollitam vel conversam esse fingeret.

¹⁾ Comoediam, qualem nunc legimus, mutilatam esse atque Plautum uberius explicavisse, quomodo Stratulacis mores mutati sint, cum alii tum Otto Ribbeck (Rhein. Mus. 37, 1882, p. 422) coniecerunt magis quam demonstraverunt.

At quaeritur, num revera Euclionis ingenium moresque adeo mutata sint. Sunt qui dicant Euclionem omnino avarum non esse, hominem pauperem inventa aula adeo turbatum esse, ut nihil iam ageret, nisi ut aurum anxio animo custodiret, consentaneum esse hominem tanta sollicitudine liberatum libenter genero thesaurum repertum credere. Quam sententiam cum primus W. Klingelhöffer in programmatae gymnasii Darmstadtensis anni 1873, cui inscribitur „Plaute imité par Molière et par Shakespeare“ imprimis p. 8—10 exposuisset, sua sponte a. 1907 excogitatam Maximilianus Bonnet¹⁾ argumentis satis multis allatis defendit in volumine Ludovico Havet dedicato (Philologie et Linguistique. Mélanges offerts à Louis Havet; Paris 1909, p. 17—37: Smikrinès — Euclion — Harpagon). Bonneti opinionem nostratium suam fecit Fridericus Leo, qui paucis mensibus ante mortem valde lugendam de Aulularia ita iudicavit (Gesch. d. röm. Lit. 1913. I 119): „Ihre Hauptfigur ist der durch den Schatz im Hause aus seiner Seelenverfassung gebrachte Euclio. Kein anderer als Molières Harpagon. Aber merkwürdigerweise ist Euclio kein Geizhals, sondern ein in Dürftigkeit lebender Bürger, der sich ärmer macht als er ist, weil ihn die Angst plagt, man möchte merken, dass er den Schatz im Hause hat. Nur in einer kurzen Szene und in einigen kurzen Worten ist Euclio als Geizhals geschildert und zwar in sehr komischen und ganz übertriebenen Zügen. Es kann kaum anders sein, als dass Plautus auch hier, um in seine Kopie des komischen Helden neue wirkliche Linien einzuzeichnen, das ursprüngliche Bild verzeichnet hat (und zwar hat er in der Szene II 4 die Verse 288—320 aus einem anderen Stücke Menanders — Chorikios zu 301 — eingelegt).“

Fieri non potest, quin magna viri doctissimi atque sagacissimi auctoritate permoti haud pauci tandem aliquando verum non solum Euclionis ingenium, sed totius comoediae consilium perspectum esse iudicent. Iam vero si concesserimus Plautum

¹⁾ Nititur vir doctus etiam Henrici Weillii iudicio, quod a. 1906 (Journ. des Savants p. 516) exposuerat: at monendi sumus Weillium similem atque Bonnetium sententiam maxime ea causa commotum protulisse, ut e *Δυσκόλῳ* fabula Menandrea Plauti Aululariam originem duxisse probaret: quae cum inscribatur *Δύσκολος*, non *Φιλάργυρος*, Weillii maxime intererat demonstrare ne Euclionem quidem esse hominem natura avarum.

non tam hominis avari imaginem depingendam sibi proposuisse quam descripsisse aulae illius casu seu servilibus artibus atque hominis cuiusdam eodem modo seu misere seu ridicule mutatam fortunam, infitiandum non erit Sarsinatem, quamquam in ipsa fabula componenda sibi constiterit, certe summa illa laude, quam libenter Moliario tribuimus, haud ita dignum videri. Nos autem neque eius, ut ita dicam, deminutionis timore terrebitur, neque ut veterum poetarum gloriam tueamur, demonstrare studebimus hic quoque admirandam artem Graecam (quam utinam in comoedia accuratius noscamus!) rusticitate Umbrica esse depravatam, neque integram Aululariae formam resectis eis, quae minus in eam quadrare videntur, testimoniis restituere audebimus. Habemus comoediam Plauti nomine traditam eamque exceptis versibus extremis plene servatam et quae nulla contaminationis aperta seu testimonia seu exempla exhibeat; investigandum est, utrum Euclio ille, qualem haec comoedia ostendat, homo avarus sit necne.

Quaerenti vero, quid sit avaritia, respondet Cicero (Tusc. 4, 11, 26) „est autem avaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi valde expetenda sit“ (cf. 4, 7, 15 „opinationem . . . volunt esse inbecillam adsensionem“) neque dubitabimus, quin Romani avarum dixerint et eum, qui suae pecuniae nimis parcus ac tenax esset, et eum qui avidè alienam appeteret; alteram vocis vim invenies e. gr. apud Horatium epist. 2, 2, 193:

Scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti

Discrepet et quantum discordet parcus avaro,
alteram apud eundem poetam epist. 1, 2, 56:

Semper avarus eget: certum voto pete finem.

Concedendum est Bonnetio (p. 20) Euclionem eo loco, quo augendae pecuniae avidum se praebet (v. 105—112), ipsum confiteri se nummos a magistro curiae promissos ideo appetere, ne neglecta illa pecunia:

„omnes ilico

Me suspicientur . . . habere aurum domi“;
neque tamen dixerim; „ce n'est pas une cupidité sordide qui le pousse; c'est la crainte de laisser soupçonner qu'il a chez lui un magot“; senex nisi pecuniae cupidus fuisset, tam parvum lucrum pro nihilo habuisset. Eundem suae fortunae parcum esse testantur Megadorus 206:

Neque illi quisquamst alter hodie ex paupertate parcius,

Anthrax 314:

Edepol mortalem parce parcum praedicas (Philodicus),
Strobilus 315:

Censen uero adeo esse parcum et miserum uiuere?

Congrio 335;

Hucine detrusisti me ad senem parcissimum?

Pares Euclionis mores atque patris et avi, quem avido fuisse ingenio ex prologi versu nono intellegimus, lar familiaris verbis satis acerbis queritur neque cuiquam Bonnetius p. 22 persuadebit hoc loco Euclionem non esse accusatum avaritiae. Graviora esse coquorum Strobilique opprobria (v. 295 ss.) ne Bonnetius quidem negare audet, quamquam senis parsimoniam vera eius paupertate quodammodo excusatam esse velit; at praesto est remedium simplicissimum; tota illa scaena (II 4, 288—329), qua Euclionis avaritia tanta arte perstringitur, omnino genuinae comoediae abiudicatur; Plautum ipsum eam adiecisse exemplari Graeco Bonnetius probare studet p. 34—36, quamquam concedit ne Graecos quidem novae quae dicitur comoedia scriptores vitiis erroribusque carere. Eandem sententiam vir doctus ferre videtur de loco illo satis lucido v. 670, quo Euclio corvo, cui tantum debebat, nihil se donaturum esse dicit nisi verba¹⁾. Atque si quis forte opinetur Euclionis avaritiam inde probari, quod v. 539 ss. Megadoro hortanti, ut nitidior sit vicinus filiae nuptiis, non obsequitur, Bonnetius monet hoc quoque loco senem id unum spectare, ne cui divitiorem se esse in mentem veniat. Eundem paulo ante laeto animo Megadoro laudatori (cf. imprimis v. 497: „Nimis lepide fecit verba ad parsimoniam“) assentiri quamquam Bonnetium non fugit, tamen non tanti aestimandum esse censet (p. 23).

Ita quoniam omnes loci, e quibus insita Euclionis avaritia fortasse cognosci possit, vel nova quadam interpretatione deminuti vel ut interpolati e vero comoediae textu detrusi sunt, eo lucidior fit imago Euclionis, qualem ipse Bonnetius e satis magno versuum numero sibi finxerat.

Examinemus singillatim ea, quae vir doctus exposuit.

¹⁾ Quid versuum 335 ss. claro testimonio:

Hucine detrusisti me ad senem parcissimum?

Ubi si quid poscam, usque ad rauim poscam prius

· Quam quicquam detur
faciendum sit, non docemur.

Cum in altera primi actus scaena Staphyla (v. 67 ss.) miretur, quid malae rei quaeve insania ero evenerit, iure Bonnetius concludit sollicitudinem senis proxime natam esse; nimirum, quamdiu aurum non habebat, causa non erat, cur de eo timeret. At affirmanti Bonnetio: „D'avarice, pas de question“, obloquemur, quod iterum atque iterum erit urgendum: nisi avaro fuisset ingenio Euclio, et ipse auro invento laeto animo frueretur et ceteris libenter de divitiis suis impertiret.

Miserum — ut servi verbis utamur v. 315 — vivere senem elucet e verbis Staphylae v. 83 s.

Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus

Ita inaniis oppletae atque araneis;

quibus cum respondeat Euclio

Araneas mihi ego illas servari uolo.

Pauper sum, fateor, patior; quod di dant fero,

nobis quidem apertum avaritiae testimonium praeberi videbatur, Bonnetio verae paupertatis. Sed quem tandem avarum dicere licet nisi eum, qui, quamvis praeter spem atque opinionem locuples factus sit, tamen occluso thesauro in vilissima egestate vivere perstet?

Identidem et ipse Euclio profitetur se pauperem esse (85/86, 88, 184, 190, 196, 227, 461, 542) et Staphyla, Megadorus ceteri confirmant (171, 173, 206, 247, 248, 423, 479, 603); contigit igitur homini callidissimo ut, id quod volebat, omnes deciperet; quid sibi velit Bonnetius cum dicat: „il ne le feint pas (sc. se pauperem esse) comme font les avares“, confiteor me non intellegere; senex quamquam aurum possidet, tamen fingit se nihil habere, ergo mentitur.

In universum quidem Euclionis famam haud malam esse Bonnetio concedemus, quamquam ex Megadori verbis 205 et 539 supra allatis suspicari licet vicino parsimoniam eius nimiam videri, neque mirum est, quod neque Megadorus neque Eonomia eum avaritiae insimulant, quippe qui hominem paupertatem simulantem revera divitem esse ignorent. Ipse Bonnetius tam confidenter de bona Euclionis fama praedicare non auderet, nisi clarissimam illam actus tertii ineuntis scaenam, qua servi acerrime senis avaritiam perstringunt, comoediae alienam esse opinaretur: quam opinionem minime certis argumentis firmatam esse nobis persuasum est.

Affirmat deinde Bonnetius: „Il n'a pas une pensée de reste pour cette aubaine d'une alliance à contracter avec un gros bourgeois cossu tel que Mégadore (166, 184, 214, 226, 247); qui ne pourrait manquer de réjouir un avare, même possesseur d'une marmite pleine d'or“; negat Euclionem sperare sibi dotem non esse praebendam (vraiment il n'est pas à même d'en constituer une); tarde tandem (v. 267) ei in mentem venire Megadorum fortasse de thesauro certiorum factum, ut eo potiretur, filiam in matrimonium ducere velle. Haec omnia plena sunt errorum: cur is, cui aula auro referta erat, filiae dotem dare non poterat? Ex tota illa scaena actus secundi altera intellegimus senem, quem sane deceret insperata filiae fortuna gaudere, nihil aliud spectare, nisi ut caveat, ne quid dotis poscere possit gener (cf. imprimis v. 240, 256, 258). Ac profecto, cum tandem aliquando Megadorus homini suspicioso persuasisse videatur se revera indotatam petere filiam, ubi abiit, poeta lepide Euclionem denuo timentem facit, ne Megadorus audierit domi sibi esse thesaurum:

v. 267 Id inhiat, ea affinitatem hanc obstinavit gratia.

Nonne haec ingenii sunt avarissimi? Nonne verisimillimum est, quidquid in antecedentibus affirmaverit Megadorus, nunquam Euclionem de suspicione sua recessisse?

Recte ipse Bonnetius quaerit, quae causa fuerit, cur Euclio non ex ipso thesauro abscondito dotem filiae promat. Nos quidem respondebimus: quia, qua est ingenua avaritia, ne minimam quidem divitiarum partem perdere vult; at ille (p. 20): „N'est-ce pas là une preuve d'avarice? Nullement. Pas plus qu'Euclion, le savetier de La Fontaine¹⁾ n'est avare, et pourtant, tout comme Euclion, dans la cave il enserme l'argent et sa joie à la fois. Chez l'un comme chez l'autre cette conduite s'explique par le manque d'habitude de posséder, par une sorte d'étourdissement que leur cause leur fortune subite. Ils n'ont jamais rien eu à garder, et tout à coup ils ont le souci de préserver des accidents et des voleurs une somme qui leur paraît énorme. Dès lors ce souci seul les obsède, sans que l'idée leur vienne de jouir de leur richesse. Une seule fois Euclion y pense, c'est quand il est trop tard, quand il vient de perdre son trésor (722 et suiv.).

¹⁾ De hac fabella infra agemus.

À ce moment il voit clair tout à coup. N'est-ce pas qui arrive à tant d'hommes, quand ils ont perdu leur santé, leur fortune, ou même un de leurs proches?" Vides, quantis artificiis opus sit, ut res simplicissima explicetur: si in Euclione ingenium liberale natura insitum esset, animus eius divitiis quamvis insperato repertis non esset perturbatus, gauderet auro, vitam laetiores institueret, familiares fortunae participes faceret. Quod vero Bonnetius dicit eum sero, cum aula perditam sit, de fruentibus divitiis cogitare, e versibus commemoratis (affert v. 722) vix concludi potest.

Numquam omnino sumptum impendere in filiae nuptias Euclio in animo habebat? Sane, ibat in forum (v. 371):

Volui animum tandem confirmare hodie meum,

Ut bene haberem me filiae nuptiis;

sibi ipsi igitur consulere volebat; sed cum omnia cariora inveniret, paenituit eum consilii capti (v. 383):

Accessit animus ad meam sententiam,

Quam minimo sumptu filiam ut nuptum darem;

Nunc tusculum emi hoc et coronas floreas;

Haec imponentur in foco nostro Lari,

Ut fortunatas faciat gnatae nuptias.

Satis habet rem minimi pretii emisse, ut aliquid fecisse videatur, quo Laris gratiam filiae conciliet; cetera omnia Megadoro paranda relinquit. Talia respicientibus num argumentis refellenda sunt, quae Bonnetius (p. 21) affert: „ce n'est pas d'un avare. Un véritable avare ou aurait acheté si peu que ce fut de plus substantiel, ou n'aurait rien acheté du tout?" Certe vel nihil vel rem vilissimam emere licebat Euclioni; angusti animi est simulare se aliquid fecisse.

Neque pudet hominem, cum omnes nuptiarum sumptus in Megadorum transtulerit, arroganter queri, quod agnus ab illo missus nimis macer sit (560—568); audiamus, quae ea de re dixerit Bonnetius: „un avare qui se plaint qu'on ne fasse pas assez bonne chère!" Sane contentus esset Euclio, si ipse minimo pretio emisset agnum: eum, qui liberaliter omnem curam largitus est, ultro parsimoniae accusare non dubitat, id unum timens, ne coqui tibicinaeque ab eo missi vel nimium bibant edantque, vel in aedibus suis, ubi teste Staphyla (v. 83) nihil quaesti est furibus, furentur.

Restat scaena illa praeclara (v. 712—726), qua Euclio aula spoliatus furibundus investigare studet, quisnam auctor

sit tanti sceleris; agnoscit Bonnetius (p. 26): „un désespoir comique, mais qu'il ne faut pas attribuer à l'avarice: il est peu d'hommes, même détachés des biens de ce monde, qui ne s'affligeraient en pareille occurrence; et le chagrin d'Euclion s'accroît naturellement du fait, que son attention a été, depuis quelque temps, concentrée sur le précieux objet.“ De talibus disputandum non est; si quis credit omnes mortales, quamvis sint seu liberales seu contemptores pecuniae, damno accepto eadem rabie correptum iri qua Euclionem, frustra eum redarguere conaberis.

Necesse erat singula quaeque, quae Bonnetius attulit, quam accuratissime perlustrare, ut cognosceremus, quibus argumentis coniectura illa niteretur; persuasum habeo testimoniis certis seu reiciendis seu neglegendis seu diminuendis talem coniecturam omnino probari neque posse neque debere. Ne id quidem viro docto concedemus Euclionem avarum non esse inde apparere, quod v. 66 queratur se miserum sollicitari plurimis modis, et quod v. 767 dimidiam auri erepti partem furi offerat, dummodo alteram ipse recuperet. Num unquam homo avarus beatus fuit? Nonne miserrimus est, qui semper anxietate perdendae pecuniae vexatur? Estne incredibile vel parum verisimile eum, qui, ne omnem thesaurum perdidit, veretur, quovis pacto aliquam certe partem servare studere?

Facere non possumus, quin Bonnetii sententiam, etsi ingeniose sit excogitata, tamen reiciendam esse censeamus. Vix cuiquam persuadebit vir doctus, eum, qui semper id unum agit, ut aurum suum custodiat, qui ne minimam quidem eius partem in res vel maxime necessarias impendere vult, qui amissa aula dolore plane insaniat, non esse avarum. Affert sane Bonnetius fabulam notissimam poetae Francogallici La Fontaine „Le Savetier et le Financier“ (vide supra p. 462); sed, praeterquam quod alia est ratio fabellae lusu quodam ingenii leviter compositae atque comoediae veram vitae morumque imaginem exprimentis, laetus animus iuvenis, parvis contenti ideoque beati comparandus non est cum sene moroso atque tristi, quo teste Megadoro (v. 206) nemo alter ex paupertate parciior erat, quem servi parce parcum praedicabant (v. 314, 335) eundemque miserrime vivere dicebant (v. 315). Tantam avaritiam, quantam per totam fabulam testimoniis exemplisque perpetuis probatam videmus, homini natura in-

genitam esse negari nequit. Iam quaerenti, numquis tam gravi atque inveterato vitio liberari possit, respondendum est Plautum, siquidem duobus argumentis credimus, id sibi persuasisse. Dolemus, quod nobis iactura temporum non iam perspicere liceat, qua arte poeta Euclionem ex homine avaro atque misero si non liberalem beatumque, attamen contentum effecerit; desperandum non est eum, qua erat sollertia, id quoque ita perfecisse, ut etsi fortasse non philosophis, at certe spectatoribus Romanis satisfaceret¹⁾. Recte praeterea Bonnetius (p. 34) nos monet non solum Plautum, sed etiam poetas Graecos interdum in depingendis hominum moribus atque ingenio levitate quadam egisse.

Molierii gloriae, qui immutabilem hominis avari semper sibi constantis imaginem ex alta naturae humanae cognitione summa arte finxit, non est quod invidemus; suo iure Plautus sibi vindicavit laudem vix minorem, quod avari personam Graeca arte inventam lepore suo ornatam memoriae perpetuae tradidit.

¹⁾ Cf. quae luculenter exposuit Guil. Wagner in dissertatione Bonnensi (a. 1864) De Plauti Aulularia p. 6.